



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiaë, 1635

Cap. XIII. In Crvce orandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT XIII.

## DE CRUCE orandum.

Tristatur quis in vobis? oret. *Iacobi 5, 13.*

CRUX arcus, n̄ruus fiducia, vota sagittæ,  
Penna amor, at Deus est (iaculare) scopus.



IDEBATVR iam fatis circa intentionis directionem instructa Staurophila. Volens autem totam se Staurosophiæ addicere, Domino dicebat: Aliudne restat, benignissime Iesu, quod mihi in hac VIA discendum? Superfunt, inquiebat Christus, non leuia monita perfecto CRVCIS discipulo seruanda. Atque illud in primis, vt ex CRUCE arcum tibi fabrices, quo iaculis cælum cælique Dominum petas. Quid hoc sibi velit, inquiebat Staurophila, non satis capio, & intricatum mihi apparet ænigma.

Cui Christus: Orare nempe te docet in CRUCE & tribulatione. Quid enim sunt preces contriti & humiliati cordis, nisi sagittæ electæ, ex cordis pharetrâ in cælum vsque emissæ? An non dicit Scriptura: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet, donec* Eccli. 35,  
21.

nec

Tristatur quis in vobis? oret. *Iac. 5, 13.*



CRVX arcus, neruus fiducia, vota sagitte,  
Penne amor, at Deus est (eiacularē) scopus.

nec aspiciat *Altissimus*. Hæc iacula sunt quæ feriunt atque adeò vulnerant cor Dei, & ad ipsum molles sibi aditus parant. *Vulnerasti* Cant. 4. 9. *cor meum* ( exclamat cælestis Sponsus ) *soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Vide autem vt hîc non obscure sagittandi tibi insinuetur methodus. Solent enim sagittarij, vt scopum attingant, oculorum alterum claudere, ne adhibito vtroque, in diuersa oculorum acies rapiatur. Idipsum & tibi in oratione faciendum; claudendus quippe est alter oculus, ne humanarum rerum intuitu mens interpellata, huc illucque diuagetur, atque proposito sibi sine excidat. Alter autem, quo spectantur cælestia, aperiendus, quo vno duce & attingitur scopus, & vulneratur Sponsus.

Interpellabat hîc Staurophila, Cur, in-  
 quiens, Domine, CRUCEM baiulantem pe-  
 culiariter iubes orare, cum ea communis fi-  
 delium sit exercitatio? Etiamne nescis, in-  
 quiebat Christus, orationem maximum esse  
 CRUCIS subleuamen, & opportunum in tri-  
 bulatione auxilium? An non legisti à Deo  
 hoc ipsum præscriptum? *Inuoca me, ait, in* Psal. 49,  
*die tribulationis; eruam te & honorificabis me.* 15.  
 Et: *Clamabit ad me, & exaudiam eum, cum ipso* Psalm. 90,  
*sum in tribulatione, eripiam eum, & glorifica-* 15.  
*bo eum.* Vfus est hoc præsidio Regius Vates,  
 cuius

cuius

Ps. 119, 1. cuius hæ voces: *Ad Dominum cum tribula-*  
 Psal. 76, 3. *rer clamavi. & In die tribulationis meæ Deum*  
*exquisivi manibus meis.* idemque de aliis ait:  
 Ps. 106, 13. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur,*  
*& de necessitatibus eorum liberavit eos.* Et fre-  
 quentissima sunt in sacrâ Scripturâ exempla  
 eorum qui in tribulatione preces fuderunt:  
 id enim fecerunt Samson illusus à Philis-  
 tæis, Susanna in periculo mortis, tres pueri  
 in flammis, Daniel in lacu leonum, Ionas in  
 ventre ceti, Petrus in mari, Apostoli in na-  
 uicula, Paulus & Silas in carcere. Denique  
 & ego non solum in horto, sed & in ipsâ  
 Hebr. 5, 7. *CRUCE preces supplicationesq; cum clamore*  
*valido & lacrymis Deo Patri obtuli.* Ideoque  
 & tu tantum habens impositam nubem te-  
 stium, ad orationis præsidium frequenter re-  
 curre. Oratio enim in tribulatione Deum  
 placat, & tribulatio ipsa orationem non pa-  
 rum iuuat.

Quàm velim, aiebat Staurophila, paulò  
 expressiùs id intelligere? quomodo enim af-  
 flictio orationem adiuuat, cum præ dolore  
 aliud vix cogitare potest? Passim enim con-  
 queruntur ægroti & afflicti orandi sibi sub-  
 tractam facultatem. Ad hæc sic Christus:  
 Quò se quisque magis ad Deum conuertit,  
 hoc minus afflictionis meminit, neque enim  
 permittit totum animum CRUCI attendere,  
 qui

qui Deo, quantum quidem potest, conatur intendere. Iam verò quantum robur tribulatio addit orationi. *Sicut enim sagitta infixa cordi mouet ac impellit, vt remedium querat; sic tribulatio dolorem adfert cordi, ac urget, vt in re aliâ solatium sequiratur, scilicet in cogitatione boni aeterni. Aqua dum per plana & ampla spatia fertur, non in altum consurgit, sed latè sese quaquaversus expandit: cum autem manu artificis eam colligentis & strigentis coacta fuerit in angustum, iam inde sollicitè omni telo velociùs se in excelsum iaculatur, petitq; supernam regionem: sic mens humana, dum otiosa & liberior, quàm expediat, degit, diffunditur quidem & latè diffluit; cum autem asperiori rerum euentu, casuq; subito coërcente aduerso sollicitetur, iam agiliùs se extrudit, & intentas ac dilucidas orationes mittit in excelsum. In die ergo tribulationis tuæ Deum exquire, non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum: vt ad hoc Deus remoueat tribulationem, vt secura inhereas Deo.*

Vt video, inquiebat Staurophila, non auxilium dumtaxat precibus CRUX confert; sed quamdam etiam ad Deum confugiendi imponit necessitatem. Non malè vidisti, aiebat Christus, huic enim fini tribulationes frequentissimè subseruiunt. Audistine aliquando, quâ ratione Absalom ad se accersie-

Idiota de  
Verâ pœ-  
nit. §. 14.

Chrysoft.  
Hom. 5. de  
Incompre-  
henf. Dei  
nat. tom. 5.

August. in  
Psal. 76.

2. Reg. 14,  
29.

rit

rit Ioab? Vocauerat eum, submissis seruis secundò; *at ille nolebat venire*. Proinde curauit succendi fegetes eius. *Surrexit itaque Ioab & venit ad Absalom*. Postquam autem locutus est cum illo, mediatorem se exhibuit apud Regem, & locutus est pro Absalom. Non secus ego, si quos videro monenti mihi obstrepere, & semel iterumque vocatos non venire, hos immisâ tribulatione venire compello; at vbi venerint, iam mediatorem me pro eis apud Patrem interpono. Tales & illi erant de quibus Psalmista: *Multipli-  
cata sunt infirmitates eorum, postea accelera-  
uerunt*. Et: *Imple facies eorum ignominia, & querent nomen tuum Domine*. Multi profectò sunt, qui Dei ne semel quidem recordarentur, nisi CRUX aliqua eos quodammodò adigeret: vnde miserentis Dei est, quòd eos affligi patiatur, vt ad ipsum confugiant. *Tale aliquid faciunt amantiore filiorum parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem sapere discedere, æqueuorum autem lusibus detineri: præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati metu paruuli ad maternum sinum confugere festinent*.

Chrysoft.  
Hom. 10.  
in Matth.

Ex iis quæ audio, inquebat Staurophila, non malè colligere videor, pessimum signum esse, in tribulatione ad Deum non conuer-  
ti, sed solito conuersari modo. Quis dubitet?  
in-

inquietabat Christus. Ex effectu quem tribulatio in vnoquoque operatur, facile animæ eius status agnoscitur. *Sicut enim plenum granum, mox vt leuiter percussum fuerit, de paleâ suâ exilit foras; si autem subtile fuerit, tardius egreditur; quod si vacuum fuerit, numquam egreditur, sed illic conteritur cum paleâ suâ, & ita cum paleis foras iactatur: sic omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in paleâ. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medullam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modicè infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum. Qui autem infidelis est & vacuus, quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de paleâ non egreditur, sic ille de carnalibus rebus & impedimentis mundialibus numquam egreditur, nec transit ad Deum, sed illic in malis constitutus conteritur, vt cum infidelibus, quasi cum paleis foras projiciatur.*

Pulcherrima hæc comparatio, aiebat Staurophila. sed oro te, quando oratio Crucigeræ adeò necessaria, quid potissimum mihi precandum censeas? Hoc vel maximè, aiebat Christus, vt si ipsam CRUCEM depreceris, aut mitigari nonnihil petas, non alio id facias modo, quàm illo, quem in Oliueti

P hor-

Chrysoft.  
Hom. 3.  
in Matth.  
Oper. im-  
perf.

Blot in  
Spec. Phil.  
cap. 8.



horto verbo & exemplo docui, vt scilicet  
 Matth. 26, 39. *dicas: Pater mi, si possibile est, transeat à me  
 calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed  
 Pſal. 61, 2. sicut tu. Nōne Deo subiecta erit anima mea?  
 ab ipso enim salutare meum. Fiat Domine vo-  
 luntās tua. &: Sicut fuerit voluntas in celo,  
 sic fiat. Resignato enim, & in vtrumque pa-  
 rato oportet esse animo, qui CRVCIS fru-  
 ctus vberrimos velit decerpere. Deinde ipsas  
 tribulationes ac pœnas tuas omnes, tam par-  
 uas quàm magnas, passioni & cruciatibus  
 meis coniunctas vnitasq; deuotâ mente offer  
 Deo in laudem aeternam: sic enim erunt inesti-  
 mabilis meriti, & summè Deo placebunt.*

1. Machab  
 3, 60.

Blof. in  
 Spec. spirit.  
 cap. 8.

